

CATHOLICO LECTORI
FR. ALEX. ANGELICUS BARDANI
ORDINIS PRAEDICATORUM
SAC. CONGREGATIONIS INDICIS
SECRETARIUS

In tanta perniciosorum librorum undique scatentium colluvie perjurunde accepimus exemplaria omnia Indicis Librorum prohibitorum impressa anno 1786. fuisse distracta, nec ulla superesse venalia quibus exposcentium plurimorum desiderio fiat satis; siquidem inde patet in hodierna morum perversitate, nec non effrena, etiam de altioribus ex divino monitu superba curiositate non quaerendis, opinandi atque scribendi libidine, fideles extarre non paucos, qui verae fidei ac religionis amore, debitoque in Sanctam Apostolicam Sedem veneratione ducti illius scita, et jussa pernoscere et exequi maxime curant.

Hinc est quod mandante *SS. D. N. PIO SEPTIMO* Pont. Max. typis iterum praesens commissus est Index, in quo una simul librorum omnium prohibitorum usque ad annum 1819. series integra recensetur.

Nos vero tanti Pontificis praeceptis obtemperaturi nulli, uti par est, pepercimus curae ut aequae accurata ac praecedens numerisque omnibus absoluta recens haec prodiret editio. Cumque libri alii quamplurimi triginta trium annorum spatio, quot effluerunt a praecedenti editione, fuerint inter prohibitos rejecti, tam in Appendicibus quae usque ad numerum quinarium excreverunt, quam in Decretis publici juris factis, recensiti, omnes in eundem alphabeticum ordinem redegimus, paucis tantum exceptis, quos in addita Appendice notavimus eo quod manus prope extrema huic accesserat impressioni, in qua idem a nobis servatus est ordo eademque habita ratio ac in duabus postremis praecedentibus quae caeteris sane fuerunt accuratius ordinatae.

Itaque in recensendis libris posterius proscriptis majorem rationem habuimus Cognominum, quam Nominum, quod haec illis minus nota esse videantur. Cognominum tamen loco habuimus etiam Nomina quovis modo simulata. Eos autem libros, quorum Auctores non nisi litteris

initialibus sunt indicati, nos pariter eorum descripto titulo litteris initialibus denotavimus.

Theses, atque *Disputatione* non *Discipulorum*, sed *Magistrorum*, sive *Praesidentium* nomine, quod plerumque earum *Auctores* esse solent, disposuimus, nisi forte unius tantum nomine fuerint inscriptae.

Libros, in quibus post titulum *Operis* denotatur *Auctoris* nomen, *Lectorum* commodo consulentes ita ordine alphabetico enunciauimus, ut quilibet eos perquirere valeat inspecto tum *Operis* titulo, tum *Auctoris* nomine.

Librum a duobus *Auctoribus* conscriptum ejus nomine retulimus, qui primus ordine in eo reperitur. Eos vero, qui plurium opera fuerunt compositi, ipsis dumtaxat titulis designauimus.

Libros Anonymos alphabetico ordine seruato disposuimus.

Eadem orthographia descriptos *Librorum* titulos recensuimus, quam eorum adhibuerunt *Auctores*.

Jam vero cum aliquibus libris, eorum etiam, quos posterius proscriptos in hunc *Indicem* universum redegitur, additum legatur = donec corrigantur, seu donec expurgentur = eam correctionem, seu expurgationem a nemine privato *judicio* fieri posse, sed ad *sacram* *Indicis* *Congregationem* rem totam deferendam esse monemus.

Monemus pariter, non eos dumtaxat *libros* excommunicationis reservate poena esse proscriptos, qui de *Religione* ex professo agunt, haeresesque docent, quod *Litteris* *Apostolicis*, et *Constitutione* *Alexandri VII.* edita die 5. *Martii* 1664., quae incipit = *Speculatores* = statuitur; verum eos etiam fere omnes *libros* hujusmodi poena proscribi, qui post praedictam *Alexandri VII.* *Constitutionem* *Brevibus*, aut *Bullis* *Pontificis* prohibiti indicantur, ut ex ipsis *Brevibus*, ad quae *Lectores* remittimus, intelligi potest.

Caetera scitu necessaria in sequentibus *Regulis*, et *Decretis* *Pontificiis* animadvertenda *Catholico* *Lectori* relinquimus.